



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **GUVAHATINA*** PROVINCIAM ECCLESIASTICAM GUVAHATINA IN INDIA CONDITUR Indorum ecclesiales communitates vigere iam laetantes cernimus atque ut eae usque volumus floreat et Christi salutem omnibus exhibeant. Nunc autem Guvahatina dicio ob oculos versatur, ad cuius salubriorem prosperitatem ecclesiastica instituta aptare properamus. De consilio igitur Congregationis pro Gentium Evangelizatione, Venerabili Fratre Georgio Zur, Archiepiscopo titulo Sestensi atque in India Apostolico Pronuntio, consentiente, Apostolica Nostra usi potestate, novam Provinciam Ecclesiasticam condimus *Guvahatinam* appellandam, distractis dioecesibus Guvahatina, Dibrugarhensi, Diphuensi et Tezpurensi a metropolitana Sede Shillogensi, et ea posthac ad Archidioecesim Metropolitanam evehetur, cui nectentur dioeceses Dibrugarhensis, Diphuensis et Tezpurensis, veluti suffraganeae Sedes. Renuntiamus exinde Venerabilem Fratrem Thomam Menampampil, hactenus Episcopum Guvahatinum Archiepiscopum Metropolitanam, cunctis additis iuribus congruentibus ad sacrorum canonum praescripta. Ad haec omnia exsolvenda Venerabilem Fratrem Georgium Zur deputamus, quem supra memoravimus, facta videlicet facultate quempiam virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittantur, contrariis rebus minime officientibus quibuslibet. *Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo mensis Iulii anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quinto, Pontificatus Nostris septimo decimo.*

ANGELUS card. SODANO	IOSEPHUS card. TOMKO
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Franciscus Cascone, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 12, pp. 1081-1082 © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana